


Q.K. 378, 28.

X 1903337

II n  
4698

Q V E R E -  
L A H V N -  
G A R I Æ.

1. 486.



22





Q V E R R  
L A H V N  
G A R I A  
M A







**A** N N U N C S U N T, *proh dolor, tempora, in*  
*quibus verè, juxta Irenæum sanctum Martyrem,*  
*vivi mortuis & mortui vivis invidere possunt,*  
*ob efferatam Satanae malitiam & odium erga ge-*  
*nus humanum. Qui quanto magis videt appro-*  
*pinquare finem mundi, extremumq; adventum ju-*  
*dicis IESU CHRISTI, tanto magis omnes ingenii vires expedit,*  
*modò cælum terra, terram cælo, miscere, omnem disciplinam, mores*  
*honestos, publicamq; Christianitatis pacem & tranquillitatem, quo-*  
*vis modo turbare possit.*

*Tacemus, quid alibi gentium sanguinarius iste spiritus faciat.*  
*Nobis Hungaris, ubi dolor ibi manus. Paucis, digito tanquam indi-*  
*ce, ostendere placet, quid qualiaque ab hoc communi generis humani*  
*hoste perpetiamur, inde ab exordio regiminis Regni hujus. Ubi (quod*  
*sanguineis lachrymarum fontibus deplorandum est) non per plebeios*  
*aliquos, obscuriq; ordinis homines, sed per ipsum Clerum, quicquid*  
*mali in Rempub. patria nostra exundare potuit, effudit, effundereq;*  
*etiam nunc non cessat.*

*In mentem venire meritò potest nobis, tristis narratio historica,*  
*quam descriptam habemus 1. Reg. c. 22. de rege Achab: sub cujus*  
*regio regimine perturbando, Satanas non est usus opera aliorum, quàm*  
*Cleri illius temporis, qui potiores principesq; partes circa regem obti-*  
*nebant. Cum enim Achab, contra voluntatem Dei, non necessari-*  
*um bellum movere, & Rempubl. turbare non desineret, fecit illud sua-*  
*su & suggestionem maligni Spiritus, qui justo Dei judicio & permissu,*  
*spiritum mendacem futurum in ore omnium Prophetarum Achab*  
*pollicitus; non tantùm Regem bello non necessario implicavit, sed*  
*etiam in exitium vitæ precipitem egit. Mutatis saltem personis*  
*eandem Scenam & Tragædiam plerumque hætenus Satanas exer-*  
*cuit, & exercet, etiam in hoc olim florentissimo regno Hungaria: ut*  
*ovum ovo vix similis esse possit, quàm regnum Hungaria, regno &*  
*regimini Achabico.*



Exempla commemorare non vacat. Tristissimum & lamentabile exemplum regis Ladislai, loco multorum esto. Nonne enim, per os Iuliani Cardinalis, spiritus mendax loquutus est regi adolescentulo, donec persuaderet perjurium, quo is fidem & fœdus pactum Amurati violaret, seseq; regnum, & patriam irreparabili damno, periculo exitioq; objiceret? perjurii pœnas & vindictam justissimam exigente Deo, tam à Ladislao persuaso, quàm à Iuliano persuasore: sicut annales historicorum luculentissimè testantur. I nunc Iuliane, & dic regi tuo apud inferos, Hereticis fidem non esse servandam.

Et profectò, si ad lucem veritatis oculos aperire velimus, inviti etiam cogimur fateri, quòd quicquid malorum, damnorum, confusio- num, turbarum & calamitatum, inde ab exordio regni Hungariae ad hac usq; tempora, vidimus, vel nunc etiam videre cogimur, omne illud unicè post Satanam debetur malè feriato Clero Hungariae. In hujus enim ore Satanas, spiritus mendax, agit, molitur & loquitur, suadet & persuadet, quicquid libet.

Placétne rem ipsam ad oculum demonstrare? Qui habet aures ad audiendum, & iudicium ad iudicandum, audiat & iudicet.

Superioribus retrò actis annis hoc nostro ævo, (ut ab alioribus rebus non repetamus) cum regnum hoc Hungariae, per potentissimum Tartarum Imperatorem quassatum, viresq; ejus ita attenuata & attrita fuissent, ut ex aliis regnis & provinciis, à pris & Christianis Principibus, auxiliares copias implorare necesse habuerit: Clerus, alioquin inquietum & erga Evangelium & salutem publicam, summo odio ardens genus hominum; militem talem, pro defensione regni Hungariae missum & expeditum, suis dolis & fraudulentis, mirisq; adinventio- nibus & artibus, contra populos & gentes indigenas incitavit. Qui miles, per praeactas ipsorum technas deterior factus, & alioquin praeda cupidus, oblitus sui ad quod destinatus fuerat officii, ita in eosdè indigenas, plebemq; Hungaricam, desavit & debacchatus est, quævis ob- via & facultates in prædam convertendo. Unde brevi (praesertim in Transsylvania) tanta annona caritas oborta, ut cadavera de pacibu- lo suspensorum, canum mortuorum & vermibus scatentium sint come- sta: caro hominum furtim interemptorum, suilla aut bubula admixta,  
in ma-



in macello venum exposita, & ab incautis devorata. De bacchata (inquam) est nominatissime cohors Valonum; illorum libertates perturbando, horum conjuges & liberos rapiendo, claustraque pudicitiae ad oculum violando; illorum domos & curias nobilitares in cineres redigendo; hos captivando, alios truculenter torquendo, occidendo; ut saltem reminisci eorum, cordato cui vis sit lamentabile.

Si autem aliquis altius & exactius, res afflictas Hungaria considerare velit, in negotio religionis; cum in hominum conscientiis nemo alius quam ipse Deus, dominari debeat & possit; Orthodoxam Evangelicam religionem ex hoc regno radicitus evellere Clerus intendebat. Iam enim templa Evangelicorum adimebantur; jam Evangelici verbi divini ministri in exilium mittebantur; jam infantes ad lavacrum Baptismi tuto deferri, mortuorum exequias pulsu campanarum & processione solenni ornare, solito denique sepultura loco humari, prohibebantur. Iam pii patres familias, qui in tanta verbi Dei siti, domesticis suis Evangelium praelegebant, intolerabili taxa puniebantur. Quem conatum ipsorum, in impio illo Articulo Constitutionum Dietae Posoniensis Anni 1614. praeter scitum & voluntatem Regnicolarum De extirpandis Evangelicis assuto, Orbis Christianus, quasi in speculo, conspicere potuit.

Vnde cives & populi regni Hungaria, patria hujus nostrae charissima, tot & tantis injuriis, oppressionibusque externa nationis, ex instinctu Cleri aggravati, misere divexati, lacerati; sicuti effusione sanguinis libertates suas acquirere consueverant, ita easdem, tam enormiter violatas & humi prostratas, tueri, defendere; & cum nullus alius modus superesset, in armis etiam praesidium querere, se & omnia sua extremo periculo committere, mortemque prius oppetere, quam in perpetuam servitutem, cum indelebili ignominia gentis Hungarica, amissa libertate legum & religionis consentire, secundum illius Classici auctoris suasum, debuerunt & coacti sunt. In quo quidem armorum & intestini belli strepitu, vario fortuna rotatu exacerbatis jam, exasperatis, & ad ipsum furorem conversis peregrinis gentibus, videre fuit indomitum, ferocem, flammam spirantem, & instat alicujus ignis obvia quaeque prosternentem & absumentem, virulentum,



discoloribusque vestibus amictum, in medio Christianorum tumultu-  
 antem, minas vomentem, horribilem hostem. Horripilatio quadam,  
 ex horrore & terrore, subibat etiam hominū cordatissimorum animos,  
 ad conspectum militis ferocis, solā armatura micantis. Nulla hic de-  
 crepita aetatis ratio, vel alicujus praeminentia consideratio; nullus  
 umbellae faminei sexus respectus: Senes cum juvenibus, & juvenes  
 cum senibus, denso agmine miserabiliter interimebantur. Rapiebatur  
 ibi conjux ex amplexibus mariti, & in conspectu ejus vim patieba-  
 tur, necabatur. Avellebatur infans pendens ab uberibus matris,  
 ejulanteq; matre interimebatur, curruum rotis disfindebatur vel scin-  
 debatur. Hostis tamen nec fletu matris, nec vagitu infantis permo-  
 vebatur. O mater & pater miserande, tuum si potes, quod nun-  
 quam potes, aliquo modo nobis exprime cordis dolorem. Orbabatur  
 filius patre, pater filio, filia matre, mater filiā, frater fratre, soror sorore.  
 Cernere fuit, miseram plebem, instar gregis ovium, ad vendi-  
 tionem auctionariam, passim per vicos & villas, oppida & civitates  
 actam, tractam, vilioriq; saepe precio quam pecudes & jumenta ve-  
 nundata. Conspexisse egregiae formae puellam virginem, virgini-  
 tate suā privatam, ephippio hostis alligatam, penes equum raptam.  
 Lamentabilibus oculis intuitus fuisses, equos hostium infantibus  
 Christianorum onustos, qui in perpetuam captivitatem abducebantur.  
 Exclamasses certè: O crudelia tempora! ò infelices dies! ò inaudi-  
 tam militum truculentiam! ò execrandam & detestandam Cleri au-  
 daciam, quae causam huic tam tristi spectaculo & truculentiae prae-  
 buit! Respexit tamen Deus de caelo, etiam in tanta rerum perturbatione,  
 misertusq; miserrima & oppressa Christianitatis, mucronem, flam-  
 mam & ignem spirantem, in vaginam recondidit. Cor & mentem,  
 felicitis reminiscens, Rudolphi II. quondam Domini nostri clemen-  
 tissimi, ad concordiam inflexit; destinatisq; ad id idoneis personis, &  
 aliis remediis, negotium tam triste, horrendum & ferè conclamatum,  
 ad pacis concordiaq; portum deduxit. Ex quā deinde, auxilio vici-  
 norum regnorum, Principum & procerum, illa Pacificatio optata Wi-  
 ennensis subsequuta; medio cuius, verus ac liber cultus Dei juxta Eu-  
 angelicam professionem, in patria nostra restitutus; & Provincia  
 vicina,



vicina, quarum animi inter se Vatiniano dissidebant odio, coaluerunt: ita ut jam salus illarum cum nostra salute strictissime & indissolubiliter conjuncta sit. Medio cujus, dulcissima & preciosissima libertates, postliminio quasi genti Hungarica iterum restituta: Clero ipso, prater omnem hominum opinionem, ex mera gratia, in suo priore statu relicto. Contra quem, tanquam authorem promissorum civilium motuum, fomitemq; omnium dissidiorum, licet justam habuissent causam Status & Ordines, severius & pro dignitate animadvertendi, eundemq; Clerum, tanquam patria pestem, exterminandi: ex innata tamen gentis probitate, concepta de eo meliori spe, speransq; ejus ex praetactis belli incommodis, quorum bonam partem ipse Clerus etiam degustarat, presentissimusq; & oculatus patrum testis fuerat, emendationem, eundem priori loco reliquit. Verum accidit nobis juxta proverbium: Fallitur augurio spes bona saepe suo. Proh dolor enim, quae & qualis, quantaq; secuta est Cleri emendatio? quae poenitudo commissorum tam nefandorum & nefariorum scelerum? aut quae pro tanto beneficio erga patriam Remp. gratiae gratitudo? Malos haecenus sumus experti: sed jam deteriores certe & pessimos experimur. Antiquam enim, veteratorisq; fraudibus sonantem, etiam de presenti occinunt cantilenam: Lupus nempe pilum, non animum mutat. Quis enim denuo dissidia & inimicitias inter cives ejusdem patriae nostrae fecit? CLERVS. Quis tanta profusionis sanguinis in consilio contra Transsylvania Principem, sub specie auxilii auctor? CLERVS. Quis suasor, quod Sua Majestas, quondam Dominus noster clementissimus, ad observationem Pacificationis Wiennensis, cui ipsemet praerat, Diplomateq; suo & multorum aliorum Principum & procerum confirmaverat, non teneatur esse alligata? CLERVS. Quis ductor & doctor nefarii illius Canonis, Quod Christianis Evangelicis (quos ipsi calumniose Haereticos appellant) non sit servanda fides? CLERVS. Quis in causa, quod promissa nobis, etiam sub qualicunq; verborum forma facta, non sequantur, non adimpleantur? CLERVS. Quis, quod Serenissimus Rex FERDINANDVS, prater solitam solennitatem vocationis, haecenus in Regno Hungariae observatam formam non observaverit, & intempe-

stivè,



si vè, dissidentibus regnicolarum votis, venerit? *CLERVS.* Quis, quòd in electione Palatini, non secundum superinde sancitum Articulum processum est? *CLERVS.* Quis, quòd hactenus in regno Hungaria inaudito modo, binæ propositiones fuerunt fundatae, & non uno contextu extra datae? *CLERVS.* Quis istius, proximè præteriti 1618. anni, infelicissimè coactæ, & ad eversionem regni tendentis, Dietae author? *CLERVS.* Quis author, quòd nonnulli ex Magnatibus (inter quos Nicolaus Esterhas precipuus nominatur) garrire ausi sunt: Quòd si ille Heros olim Michael Szilagi, de regno Hungariæ benè meritus Gubernator, illum perpetuâ laude dignum & suavissimum juvenem, Matthiam Corvinum, in Regem Hungariæ promovit; quare isti insani, præter voluntatem regni, Regem eligere non possent? *CLERVS.* O quæ vos dementia cepit! Quare vobis in mentem non venit, quòd inter *VES* & *V A* magna sit differentia? Prætitulatus enim Matthias, in vinculis existens, præter ipsius scitum & aliquam expectationem, ultrò (procul dubio authore *DEO*) in Regem eligebatur & proclamabatur, nam qui regiam sequitur viam, non facile aberrat. Serenissimus autem Dominus *FERDINANDVS*, istorum superborum consilium amplectendo, sub prætextu & colore Commissarii, Posonium venit. Matthias verò, ad limites Moraviae, & oppidum Strawnicza dictum, à Dominis Boëmis & Moravis honestè & cum magna pompa comitatus, & Hungaris assignatus, ab utraq; parte cum maximo applausu salutat, tubarum & tympanorum sonitu, bombardarum ac tormentorum bellicorum strepitu, unanimi voto & consensu applausuq; inexplicabili, Rex nominatur, acceptatur & proclamatur. Quis, quòd Dominorum Boëmorum legatus, in sæpius dictam Dietam Posonium ad Regnicolas expeditus, *D. Jessenius*, captus sit? *CLERVS.* Quis, quòd & hodie, cum magno detrimento, legati quorumcunq;, in legatione procedere non audent? *CLERVS.* Quo authore denique Personalis, in proximè præterita Posoniensi Dieta, solenniter nomine Statuum Romano-Catholicorum protestando, libero Religionis exercitio reclamavit? *CLERO.*

Huc



Huc huc converti volumus, & ex animo cupimus, oculos omnium hominum, quicumque sapientes & equi sunt rerum aestimatores: nempe, quot modis, quotve formis, laesi, violati & conspurcati sint, non saltem articuli illi Wiennenses, in illa difficili & laboriosa Pacificatione editi & sanciti, sed etiam Articuli Posonienses, tam antè quàm post coronationem defunctæ Casareæ Regiæq; Maiestatis. An non enim satis graviter peccatum est contra primum Pacificationis Wiennensis, De libero Religionis exercitio fundatum Articulum, qui multis per Clerum & eius plerosque assentatores Pontificios est violatus? Iam enim passim templa cultoribus verbi Dei sunt erepta: Iam certæ possessiones à matre Ecclesiâ avulsæ: Iam proventus, ministris Evangelicis debitus, per Clerum intertentus; Ipsi verò ministri ignominiosè tractati, macerati. Cujus rei exemplum nobis hæctenus præbuit Petrus Pazman. Quidam probrosè & cum magna contumelia ejecti, alii in exilium missi: & in horum locum Pontificii invita plebi obtrusi. Quæ si audito sonitu campanæ, in templum sese non confert, gravi mulctâ plectitur. Cui nihil amplius, quàm graves gemitus & suspiria ducere, oculosq; lamentabiles & lacrymis plenos in cælum tollere, residuum relinquitur. Ratione quarum difficultatum, & ademptionis templorum, cum in Diætâ, longa sanè & gravis querela proposita fuisset; ac ut ea omnia per præfatam Casaream Regiamq; Maiestatem restaurarentur, reformarentur, tractatum fuisset; idem venerabilis Clerus, antesignano prætactò Petro Pazman, cum quibusdam sui furfuris asseclis in sententiam suam pertractis, à Regnicolis sese separare; factâq; scissione, potiori saniori q; parti sese palàm & manifestè opponere non erubuit. Ac nisi quorundam præcipuorum Nunciorum, pacem & permansionem Regni amantium, prudenti & maturo consilio occursum fuisset: cum notabili quisq; suo damno, procul dubiò id deplorasset; dum inter alia, basis omnium Articulorum de Religione, per contemptum ad extrema & ultima sit rejecta, atque obiter satis & frigidè, ac si res esset nullius momenti, tractata.

Vbi etiam istud habetur, Ne Sua Majestas, sine præscitu & consensu regni, ullum vel bellum moveat, vel militem ex-

B

trancum



truncum in Regnum introducat: quàm audacter in hunc Articulum peccatum sit, illi qui conscripto milite, contra Herocem, quondam Gabrielem Bathorem, sub spe auxilii profecti, tandem eundem hostiliter aggressi sunt, magno suo incommodo edocti testabuntur. Quibus Deus omnipotens, primò quidem loca castris eorum destinata, medio locustarum occupando, omniaq; depascendo, iram suam ostendere; deinde verò eosdem, in angustias montium & fauces vallium, ubi per aliquot dierum spatium errarunt, deductos, partimq; fame, partim fatali quodam frigore debilitatos, impetu etiam hostis expositos esse voluit. Quo loci tanta strages in milite Hungaro admissa, ut etiam si cum Turcarum Imperatore signa conferenda fuissent, maior clades sequi vix potuisset.

Quid? quòd & Magnificus Georg - Draget de Homonna, cui non ita pridem per Regnicolas gratia data erat; post datam gratiam, Egregium Petrum Szokolvi, in lecto domi suæ quiescentem captivavit; Jesuitas contra publica statuta, in vilipendiam Regni, in ditio-nem suam introduxit; consorti suæ, ex celebri Nadasdina familia nate, fidem conjugalem violavit; cui etiam ab annis aliquot cohabitare recusat, propterea saltem, quòd ab Evangelica doctrina deficere non vult. Interim tamen talis Regno Iudex erat præsciendus. Talis verò Iudex & Homo inconstans & perjurus. Qui habitam mutuam intelligentiam cum Magnificis, Andreâ Doci, ac Nicolao Esterhas (qui Domini sui, olim Spectabilis & Magnifici, Francisci Magoczi, lectum prodidit; ac post qualemcumq; tandem ejusdem mortem, relictam in uxorem duxit, ac ad Pontificiam religionem pertraxit: pro quo suo scelere ac parricidio, sibi in patronum Clerum comparavit, & contra Evangelium furere cepit) & Egregio Andreâ Lonyai; in istam ipsam Constitutionem impingere non est veritus: Dum anno præterito 1616. in media pace & tranquillitate, conscripto non tantum ex indigenis, sed etiam externa nationis milite, per viscera regni Hungaria nefariè grassari, latrociniisq; omnia implere, templa sacra per prophanum sui militis excrementum defædare, in cloacas convertere; in Ecclesiasticum Statum, & ministros verbi Dei orthodoxos sævire, eosdemq; tyrannicè excruciare; Curias nobiles invadere, & nobiles personas



personas interimere; promiscuam & miseram quoque plebem bonis suis  
 exuere; non perhorruit. Cujus impium conatum, Radoly quoque, olim  
 Vayvoda Transalpinae, adjunctis sibi certis militibus, pro virili adiu-  
 vare nitebatur. Tantum abest, ut per quempiam à malo suo proposito  
 dehortatus, obtemperasset; ut nisi exercitus ipsius, per milites Haydo-  
 nes, in quem de improvise impetum fecerat, ipso Deo vindice repres-  
 sus & casus fuisset, hoc regnum Hungariae, imò & Transilvaniae, praesentissimum periculum incurrisset. Sed quae tandem poena, pro tot  
 publicis malefactis, hos patriae vastatores pestilentissimos mansit?  
 Fuerunt quidem, per superiorum partium regni Hungariae Comitatus,  
 Cassovia pro tractandis negotiis congregatos, tanquam publicae pacis  
 turbatores accusati & proclamati. Quorum Comitatum nunciis,  
 etiam in Instructionibus eorum, datum fuerat, ut contra eosdem, in  
 proximè tum affutura Diata, querela instituta fuisset. Tamen iidem  
 nuncii, perspecta Cleri (qui partes horum tuebatur) audacia & inso-  
 lentia atque petulantia; visoque eo, quòd non pondere, sed numero vota  
 censerentur, quodque privata una persona ex Clero, tantum auctori-  
 tatis in ferendis sortibus habeat, quantum nuncii unius Comitatus  
 aut Liberae civitatis; quinimò, quòd Clerus clamore suo, omnia pro-  
 libitu suo verset & agat; quodque justissimis etiam & validissimis,  
 invictissimisque interdum rationibus, scripta quoque Lege roboratis, nul-  
 lus fuisset datus locus: coacti sunt, tamen in viti, potius silentio praeterire,  
 quam praetactas has praecognitorum regni malevolorum iniu-  
 rias, & proprii commodi aut laudis studiosorum malitiam, verbosius  
 exaggerare. Pro eo itaque, quòd pro nefandis suis haecenus patris  
 in patriam facinoribus puniri debuissent, dignitatibus potius in op-  
 probrium Patriae ornantur. Dum Georgius Hommonnai (ut premis-  
 sum est) Iudex Curiae salutatur: Andreas Doci, Generalis partium  
 superiorum Regni Hungariae nominatur: Nicolaus autem Esterhas,  
 titulos Magistri Curiae, Consilarii, supremique Comitatus Comitatum  
 Zoliensis & Bereghiensis acquirit: Andreas verò Lonyai, expectati-  
 vam gratiam obtinet: Porro dictus Radoly, menstruo eoque amplissi-  
 mo stipendio, in omnem eventum, ad libidinem Cleri sustentatur:  
 Famosissimi autem proditores, Josephus Literatus, Ioannes Szilagyi,  
 & Michael



& Michael Vnkraiter, arcium atq; bonorum Huzt, Kovär, & Eczed (quarum primæ duæ, & ad Transylvaniam pertinent, & Transylvaniam iterum restitui debuerunt) muneribus amplissimis, mobilibus & immobilibus, donantur & ditantur. Hic cogitet (per viscera misericordie Dei rogamus) omnis Christiana mens, quid sibi patria nostra polliceri potuit, sive in religionis, sive in Reipubl. necessitatibus, à talibus hominibus, in hisce officiis constitutis: qui Orthodoxæ religioni, legibus patriæ, adeoq; sibiipsis, sanguiniqu; Hungarico sunt hostes professi, in publicam perniciem unice sudantes & vigilantes.

Deniq; omnium sapientum iudicio committimus, quam enormiter hic graviterq; peccatum sit: Dum præter scitum regni, denudatis consiniorum præsidiis, miles Regni Hungariæ, contra confæderatos Dominos Boëmos, qui aliàs pecuniariâ sua promotione, munitionem consiniorum Hungariæ, tum etiam milite sæpius adjuvant, eductus est, ibique contra benefactores suos vel invitus militare cogitur?

Graviter porro peccatum est contra Pacificationem Viennensem Art. III. ubi conclusum fuit, ut Sua Majestas Cæsarea, in negotiis regni Hungaricis, per Palatinum & Consiliarios Hungaros agat. Iam enim, dum non ita diu, præterito hoc duntaxat tempore, tractatum fuisset cum Turca de pagis Deditiis, neglecto & spreto proximè defuncto Palatino, Reverendissimus quondam, Franciscus Forgacz de Ghymes, Archiepiscopus Strigoniensis, & Cardinalis, adiunctis sibi quibusdam novellis Magnatibus & Consiliariis (quipote Paulo Aponyi & Ladislao Pethe) hominibus rerum Hungaricalium prorsus ignavis, & inertibus; hanc provinciam cum Turca de dediticiis pagis extra regnum tractandi sibi ambitiosè usurpavit, & in æternam gentis Hungariæ ignominiam, notabileq; & nunquam satis deplorandum derogamen & damnum, ad consinia Strigoniensia sexaginta pagos ditionibus Turcicis, à corpore patriæ avulsos, obtulit & addidit. Qui pagi, per certos ad id deputatos Commissarios, sub termino illius Diætæ anni 1618. in manifestum regni opprobrium, per manus, Ottomanicæ Portæ sunt assignati. Quod incommodum facile anteverti potuisset; si dicto quondam Domino Palatino, authoritas



ritas sua erepta non fuisset. Is enim convocatis & adscitis sibi certis patriae civibus, longâ rerum experientiâ in rebus Hungaricis gnaris; in visceribus regni eam procul dubio iniussisset rationem, qua non saltem patriae nostro commodo, gentiq; Hungaricae honori & existimationi, sed etiam vicinorum regnorum utilitati futura fuisset.

Id quoq; quod de molitionibus & disiectionibus Palancarum, in eadem cum Turca transactum conclusumq; est, in grande enormeq; dedecus & damnum patriae nostrae vergit. Nam sub vocabulo Destructionis Palancarum nihil aliud latet, (licet istud sanguinariae malitiae glaucoma, admodum tenui interpretationis calyptra tegere studeant) quàm exterminatio & extirpatio militum Haydonum trans Tibiscum locatorum. An verò hoc idem, milites Haydones vocati, suis meruerunt in patriam meritis? Minimè. Sunt enim & ipsi patriae cives, pacis & concordiae amantes: qui non ex propria sua auctoritate & arbitrio, sed ex clementi annuentia & collatione Rudolphi Imperatoris, cui & Imperatoris Turcarum assensus accessit, loca deserta ultra Tibiscum colere; villas & oppida de novo erigere & extruere; terram (habitaculum ursorum, luporum & aliarum ferarum) vomere vertere, & sic ex eadem victum quarere suum ceperunt. Quorum labores Dominus Deus, ex bonitate sua & clementia, ita benedixit, ut in numerus fructuum thesaurus, magnaq; vis comineatum, tempore belli necessariorum, inter ipsos reperiri possit, in publicum patriae commodum. Multiplicavit etiam eos Dominus, & exiguo hoc tempore, quo sedes suas in desertis locis fixerunt, ita succrescere fecit, ut intra paucos dies, numerosus, armatus, & benè exercitatus miles, ad defensionem patriae in campum prodire possit. Hi ad declarandam suam erga Sacram Caesaream Regiam Maiestatem, Dominum eorum clementissimum, fidem & fidelitatem attestandam, & probandam erga patriam & sanguinem suum gratitudinem, ultrò & benevolè, tempore ingruentis alicuius necessitatis, per duos menses, suis propriis stipendiis, penes Regem & regnum militare sunt parati. Unde ipsos esse vallum, & quasi antemurale quoddam, contra patriam qualemcumq; tempestatem, apparet. Idcircoq; non interitum, sed permansionem & salutem, eisdem quilibet sanae mentis precabitur.

Præ-



Præsertim etiam ob id, quòd iidem milites Haydones, ex sua feroci illa naturarum suarum qualitate, ita sunt morum, humanitatis, & hospitalitatis studiosi facti, ut ipsos etiam incolas, qui in medio Regni habitant, superare videantur. Si enim quempiam peregrinum adventare vident, eidem hospitium procurare, ex communi penu necessarium victum suppeditare, & honorificè liberaliterq; tractare sunt paratissimi, ut eos rapacitatis solita arguere quis vix possit. Ita enim jam sunt disciplina & legum amantes, ut quemque pro ratione delicti punire non intermittant: ita pacifici, & suo contenti, ut in publico etiam foro qui vis tuto, non tantum diurnis, sed etiam nocturnis horis, una cum reculis suis quiescere possit. In horum igitur internecionem, exterminationem & eliminationem, consentiendum fuerat? Qui suo Regi fideles; qui erga patriam grati; qui militare gratuito parati; quiq; sanguinem suum pro aris & focis effundere accincti. Facebat potius & confundatur Clerus: qui in horum internecionem non aliam ob causam consensit, & ad huc consentit, quàm ut fractis & debilitatis Hungarorum viribus, virus suum in Ecclesiam Christi effundere, eandemq; eò facilius persequi, & conatus suos fraudulentos in effectum deducere possit. Quod ipsorum intentum, manifestissimis verbis evomuerunt, inquierentes: Satius esse, si feræ & quævis bestia desolatam Hungariam inhabitent, quàm ut liberum religionis exercitium habeat. Horumne directioni patria nostra concedi debet?

Sed & in ea parte, idem Clerus amorem suum (scilicet Catholicum) erga Evangelicos declaravit: Quando in eodem cum Turca tractatu, majorem esse habendam rationem negotiatorum Pontificiorum, si in Turciam proficiscantur, quàm Evangelicorum, conclusit. Sicuti & in eo quoque, ubi conclusum est, Ut ex populis sancti IESU, qui summi Pontificis religionem sequuntur Sacerdotes, Monachi, Iesuitæ in regno Turciæ sua templa ædificent & ritus suos peragant. Quod proculdubio Turcarum Imperator, in remunerationem & compensationem LX. pagorum sibi oblatorum, ipsis permisit. Unde versipelles istos homines, ex aliorum incommodo sibi commodum, ex exilio certas  
 habi-



habitandi sedes, ex subjugatione sibi libertatem quaerere, quis non videret? Verum frustrabitur suam expectationem hoc viperinum potius quam hominum genimen. Exadificet solummodo templa. Certè ex unoquoque templo, fortissimum propugnaculum Turca habebit, unde tempore opportuno, rupto fœdere (quod tamen Deus clementer avertere dignetur) excursiones perfacile impediri poterunt.

In eodem Pacificationis Viennensis Articulo conclusum fuit, Ut Iesuitæ nulla bona in Regno Hungariæ habeant, Quam Conclusionem eò tendebant Regnicolæ, Ne etiam eisdem habitandi locus in regno Hungariæ permittatur. Experti enim & edocti suo damno, sciebant quæ & quam magna incommoda regno huic importarint. Verum & hoc Statutum artibus suis evertere & eludere non neglexerunt, interpretando verba clara: Quòd videlicet mansiones & residentia seu habitationis locus non fit ipsis interclusus, licet bonis sint privati. Quo Articuli sensu depravato, per artes suas & practicas rursus in palatia magnatum, in ipsamque civitatem Tyrnaviensem Hungarorum, instar anguim irrepserunt; rursus à consiliis esse, politias benè ordinatas labefactare, & alioquin quietam etiam & ad pacem inclinata ingenia, ad rixas & bellum, juxta antiquum suum morem, irritare & provocare cœperunt. Quasi verò Regnicolæ, bonis Ecclesiasticis inhiantes, ea sibi appropriare, & non de simplici Iesuitarum, quo ad personas ipsorum, ad instar aliorum regnorum, exclusionem, eorumque remotionem conclusissent: quippe non bona ipsorum & jura possessionaria, sed astutia & versutia, perniciem & interitum regno adferebant.

Ex horum quoque numero est Petrus Pazman, qui dam aliam viam ad inferendum Christi populo Evangelii exitium, sibi superesse non videret; à Regula Iesuitarum, cui toto vita sua tempore per strictissimum iuramentum se obligaverat, defecit: & quò majus robur & potentiam ad persequendam Ecclesiam Christi haberet; ex Iesuita Primas regni Hungariæ factus, post Regiam Majestatem in eodem Regno, ad summum fastigium honoris evectus; eoque ipso ferè tempore, quo per superiorum partium regni Hungariæ Comitatus, non tantum pro corporali sed & pro spiritali hoste eorum pronuntiatus fuerat,

in Ar.



in Archiepiscopum Strigoniensem creatus & elevatus, sicq; in manifestum opprobrium Regni, Regnicolis est obtrusus.

Hic idem Pazman, posthabito patriæ suæ amore, habitaq; mutuâ intelligentia cum illo Melchiore Glezelio, & Benedicto Pakai, homine scurra, modernæ Personalis præsentia in Iudiciis Locum tenente, & Consiliario Camera Hungarica, Propositiones ex parte suæ Cæsareæ & Regiæ Majestatis, in præmissa Diata formabat: formatis verò & conscriptis, limam & opinionem suam Jesuiticam addebat; nec quicquam in medium Regnicolarum prodibat, quod non prius per hujus astutiam fuisset depravatam. Rursus eadem Propositiones ubi Regnicolis fuerunt exhibitæ; in minoris quidem momenti negotiis, pro vulpina sua versutia & astutia, ut fraudem suam tegeret, contra easdem disputabat, & voto Regnicolarum subscribebat. Verùm ubi momenti majoris negotia fuerunt tractata; ibi in promotione eorum; Pazman quidem, coram Prelatis, Baronibus & Magnatibus; præactus verò Pakai, coram Dominis Regnicolis, fortissimos Athletas se præbuerunt. Quorum sententia si votis Regnicolarum, patriam & libertates ejus amantium, superabatur; tunc ad discursus; tunc ad rationes, tunc ad Philosophicas cavillationes, tunc nescio ad quas motivas Glezelianas & Pazmannianas descendebatur. In quarum refutatione & discussione, interdum per triduum, interdum per quadriduum, interdum etiam per integram septimanam & ultra, odiosè & inutiliter fuit disputatum & laboratum. Si verò nec sic proficiebant, tandem ultimò ad solita sua remedia, minas videlicet atq; mandata Regnicolis exhibitæ, recurrebant, & tam diu negotium suum urgebant, donec suis votis potiti fuerunt. Ob quod ipsa etiam Comitia (quod antehac inauditum fuerat) in quatuor menses integros fuerant extractæ; magnaq; vis pecuniæ, quæ in alium usum regni converti potuisset, propter has odiosas disputationes & cavillationes erogata; sicq; omnes actus & processus horum Comitiorum Anno 1618, infelices.

Officium quoq; antea acti veteratoris, Benedicti Pakai, ut juxta statuta regni, personæ ad id idoneæ quomodo conferatur, in Art. III. An. 1608. conclusum fuit. Ad quod officium an non ab ipsis quondam Ladislao Pete, & jam fato Petro Pazman, promotus sit, cæcus etiam



etiam judicare potest. Ita enim se idem Pakai, in sæpè nominata Dieta, ad nutum & voluntatem suorum collatorum formavit, finxit & pinxit, ut posthabita interdum juramenti sui & æquitatis ratione, à recto officii tramite aberraverit: propter quod ab ipsis Regnicolis, iteratis vicibus, in faciem malè audire coactus fuit. Sed quid mirum, quòd personas hoc modo promotas, singulis momentis diversos colores, pro varietate videlicet affectionum principalium suorum, ad omnes actiones promiscuè peragendas, sese obstringere cogantur? Unde quicquid promotor ejus cupit, cupit & promotus: quicquid promotori placet, placet & promotus.

Es hinc est, quòd dum illis Evangelicæ confessionis homines subesse, & ad eorum nutum, contra conscientia suæ stimulum, sese formare nolunt, spernantur, contemnuntur, & omnibus modis exacerbantur, & juris justitiæq; complementum rarò aut nunquam adipiscuntur.

Hinc, quòd Heroicæ etiam nature, variis virtutum ornamentis prædita, vel non promoventur, vel jam in officiis existentes, ab iisdem amoventur; ac vilis interdum conditionis homines, interdum etiam notati, rudesq; & rerum imperiti, modò sint Pontificii, surrogantur. Non artis, non Martis, non prudentiæ, non virtutis, sed solius Pontificiæ religionis habetur respectus. Qui omnibus viribus suis ad eum finem collineant, quò oppressis bonis & veris patriæ civibus, Domino suo (Pape) omnia subjiciant, & ex hoc regno Hungariæ provinciam aliquam, quæ instar ruralium personarum Clero superbo subsint, efficiant.

An non dolendum hoc est, quòd si aliquis Evangelicorum à Sua Majestate, aliqua fura possessionaria quovis modo obtinere potest; contra veterem & usitatam formam, in Donationalibus solet misceri illa adulterina clausula, **RESERVANDO PRO SE JURISDICTIONEM TEMPLI.**

Deplorandum & hoc graviter, quòd si Evangelicorum quis, frater fratrem, filius patrem, affinis affinem, amicus amicum, vicinus vicinum, sive in publicis nuptiarum solennitatibus, vel aliis conviviis visitaverit; eo momento, à Pontificiis, vel aliis quibusdam, quibus ad Regiam Majestatem aditus patet, in suspicionem trahuntur, & in ignominiam bonæq; fama lesionem, habita mutua intelligentia



gentia cum Fisco, per excogitatas attestaciones & aliis infidiis onerantur. E converso autem Pontificii, quandocunq; placet, & ubicunque volunt, conveniunt, cudent, fabricant ~~prohibitu~~ impunè quod volunt. Via Transylvaniam visitare volentibus præclusa, nisi cum veniâ Generalis. Cum aliis, sive in Poloniam, in Moschoviam, vel in alia Christianorum regna proficisci volentibus, sine præscitu quorumvis peregrinari liceat; Gentes verò nostras, consanguineorum, vel iurium possessionariorum gratiâ ingressus, quare criminis loco haberi debet?

EX PRÆRECENSITIS manifestè quilibet sanæ mentis, tanquam manu palpare potest, quòd apud nos malis benè, bonis verò malè est; ac ita, si cupit aliquis honores, ut videlicet majus adipiscatur nomen, fiat primum latro ac persecutor Christi ejusq; Evangelii; jam promotores & fautores in promptu habet, scilicet Clerum & eorum asseclas Pontificios. Sunt & alia sexcenta Evangelicorum in hoc regno oppressiones, quas pro nunc enumerare & longum foret, & in lacem edere non satis opportunum. Et quia ex præmissis liquidè patet, Evangelicos nihil aliud cupere, quam æquitatem & æqualitatem: Ut videlicet Religionis Evangelicæ exercitium, ubi vis locorum, quemadmodum ab ipso Reformationis tempore usque ad hæc miseranda tempora fuit, sit liberum: Item ut sine ullo Religionis respectu, Officia tam majora quàm minora, & horum administratio, conferantur personis benè meritis, aptis & idoneis: deniq;, ut Clerus seu spirituales personæ, prorsus ne in minimo quidem se immisceant negotiis, tractatibus & actionibus politicis, secularibus seu civilibus, sed simpliciter curent spiritualia, quemadmodum Ministri Evangelici; juxta illud Christi: VOS AVTEM NON SIC. Item: NEMO POTEST DVOBVS DOMINIS SERVIRE. Et illud: Tu supplex ora, tu protege, tuq; labora. Vel: Arma miles tractet, curet sua templa Sacerdos. Sic enim certò futurum est, ut si Religio Religioni non præponatur neque postponatur, certa pax & concordia inter Regnicolas stabiliter sit permanens.

HÆC



HÆC VERO ideò publicanda esse placuit, ut jam tandem vel hoc modo, cum secus fieri non potuit, Regia Majestas gravamina nostra consideret, intellectisq; justis rationibus, doloribus, pressuris, difficultatibus, & gravaminibus, ne miretur Sua Majestas, quòd Nos tueri Religionem & Leges propugnare insurrexerimus. Reliquis verò Dominis vicinis, fratribus confœderatis, adeoq; toti Christianitati, hoc presenti scripto ad notitiam pervenire volumus, ut videant, intelligant, examinent, & judicent, ob quàm graves easq; urgentissimas causas, & rationes, ad restaurationem Legum tam divinarum quàm humanarum, & libertatum, Evangelici Status, compulsi fuerimus. Quandoquidem secularium est, ut quosvis & quorumvis hostium actus, non saltem cum periclitatione quarumlibet facultatum, sed etiam conjugum & liberorum, ipsius deniq; vita, sustineant. Interim autem Clerus, cum eorū concubinis molliter & delicatè vivens, clandestinè defensoribus Regni omnia mala cudens, officii admoneatur.

CUM AUTEM rem vestram non parum concernat, ò Principes & columna Christianitatis, juxta illud, NAM TUA RES AGITUR, &c. Regni vicini periclitatio; Vestrum est, negotium, altiùs, profundius & penitiùs considerare; Nobis nunc nunc succurrere; & quantò citiùs fluctuationem hanc, conjunctis viribus, ad portum alicujus optata tranquillitatis perducere: Ne nobis fractis, debilitatis & prostratis, Vos quoq; idem degustare: & quod majus, alium loco nostri vicinum, Religione, naturâ, & moribus dissimilem, cum magno vestro incommodo experiri cogamini. Et hac habuimus nunc intimanda,





at Th 4698

Faint, mostly illegible Latin text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



Handwritten signature or initials, possibly 'W. A.' or similar, located below the coat of arms.

Handwritten initials or mark, possibly 'MC', located in the bottom left corner.







dicis I E  
 modo ca  
 honestos  
 vis moa  
 Ta  
 Nobis l  
 ce, osten  
 hoste pe  
 sangui  
 aliquo  
 mali in  
 etiam  
 1  
 quam  
 regio  
 Cleri  
 neban  
 um b  
 su &  
 spiri  
 polli  
 etia  
 eand  
 cuit  
 ovu  
 regi



lor, tempora, in  
 unctum Martyrem,  
 s invidere possunt,  
 m & odium erga ge  
 o magis videt appro  
 rumq, adventum ju  
 geni vires expedit,  
 m disciplinam, mores  
 tranquillitatem, quo  
 us iste spiritus faciat,  
 digito tanquam indi  
 amuni generis humani  
 gni hujus. Ubi (quod  
 m est) non per plebeios  
 sum Clerum, quicquid  
 it, effudit, effundereq;  
 ristis narratio historica,  
 rege Achab: sub cuius  
 sus opera aliorum, quam  
 partes circa regem obti  
 atem Dei, non necessari  
 desineret, fecit illud sua  
 Dei iudicio & permissu,  
 m Prophetarum Achab  
 ecessario implicavit, sed  
 Mutatis saltem personis  
 haetenus Satanas exer  
 Bimo regno Hungaria: ut  
 gnum Hungaria, regno &

A 2

Exem-

